Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm

Calepino, Ambrogio

Basileae, 1616

E ante I

urn:nbn:de:bsz:31-107476

Visual Library

E ante I.

Eion, onis, ἠϊὼν, Locus eſt in Taurica Cherroneſo, cujus meminit Plin. lib. 6 cap. 6. ¶ Stephano item Eion oppidum eſt Macedoniæ juxta Pieriam, quę alio nomine Amphipolis dicitur.

Eioneus, ἠϊονεὺς, Vnus è Græcorũ principibus qui ad Trojam profecti ſunt, ab Hectore interfectus, teſte Homer. lib. 8. Iliad. ¶ Alter fuit ejuſdem nominis Thrax, & pater Rhœſi regis, qui noctu à Diomede & Vlyſſe interfectus eſt, eodem Homero teſte, lib. Iliad. 10.

E ante L.

Elacatæum, ἐλακάταιον, Mons Theſſaliæ, Iovis Elacatæi templum habens. Steph.

E̅læă, ἐλαία, Civitatis nomen eſt in Creta inſula, cujus meminit Plin. lib. 4 cap. 12. ¶ Eſt etiam inſula quædam hoc nomine in Propontide, contra Rhyndaci amnis oſtium, ut refert idem Plin. cap. ult. lib. 5. ¶ Eſt item Elæa, ἐλαία, Aeolidis oppidum, non procul à Caico fluvio, inter Myrinam & Pitanam, teſte Pompon. lib. 1, & Plin. lib. 5. cap. 30.

E̅læus, ἐλαιεὺς, Vicus in tribu Hippothoontide, cujus incolę Eleuſii, ut etiam ab Elæunte. Steph.

Elaites, ἐλαΐτης, Gentile eſt. Poſſeſſivum, Elaiticus.

Elæutichos, ἐλαιοῦ τεῖχος: id eſt, Olei murus, urbs eſt Lyciæ. Stephan.

Elæus, ἐλαιοῦς, Vrbs in Helleſponto, & alia in Argo: incolæ Elæuſii, ut ab Elæo. Steph.

E̅læūſă, ἐλαιοῦσσα, Inſula Ciliciæ poſt Epirum, quæ nunc *Sebaſte*, juxta Cyzicum. Sunt & aliæ inſulæ ſeptem. Gentile Elæuſius. Steph.

Elamitæ, penult. prod. [עֵילָם *helám* ἐλαμῖται. German Perſiſch m Perſia.] Dicti ſunt Perſarũ principes, ab Elam filio Sem, ut ait Ioſephus. ¶ Sunt item Elamitæ, populi ad ſinum Arabicum, quorum meminit Plin. lib. 6. cap. 28.

Elaphoneſus, ἐλαφόνησος, una Sporadum inſularum, cum urbe ejuſdem nominis. Steph.

Elaphus Mons, Vide in ARGINVSSA.

Elaphuſſă, ἐλαφοῦσσα, Inſula in Adriatico, Vide BRETTOTIA.

Elatea, ἐλάτεια, Vrbs maxima Phocidis ab Elato quodam. Alia Theſſaliæ, & alia Theoſprotiæ, quam etiam vocant Elatriam. Steph.

Elatus, Pater fuit Cœnei, unde Elateius dicitur. Ovid. lib. 12.

-manet imperfoſſus ab omni,
Inq; cruentatus Cæneus Elateius ictu.

Stephanus in Dotio, Elati filiam Dotiam nominat.

Elavia, ἐλαουΐα, Populi Libyæ, Steph.

E̅lbeſtĭi, ἐλβέστιοι, Populi Libyæ, Steph.

E̅lbo, ἐλβὼ, Inſula quædam, Steph.

E̅lbonthĭs, ἐλβωνθὶς, Vrbs inter Aegyptum & Cyrenen, Steph.

Elbora, Vide LIBORA.

Elcebus, Ptolemæo Galliæ urbs.

Eldana, ἔλδανα, Oppidum Vaccæorum, qui ſunt populi Tarraconenſis Hiſpaniæ. Ptolem. lib. 2. cap. 6.

E̅lĕă, ἐλέα, Strab. lib. 6. civitas eſt Lucaniæ, à Phocenſibus condita, Parmenidis & Zenonis Pythagoricorum patria: qui ab ea Elatæ dicuntur, Romani primùm Heliam, deinde Veliam vocavère.

E̅lĕātæ, ἐλεᾶται, Populi Lucaniæ Eleam urbem incolentes, quę & Helia, & poſtremò Velia dicta eſt. Vide ELEA, & VELIA.

E̅lectrĭdĕs [ἠλεκτρίδες. Germ. Inſlen im Adriatiſchen Meer bey dem außgang *Padi*.] Inſulæ ſunt in *mari* Adriatico, ad oſtium Padi ita dictæ à Græcis, quòd electrũ in illis ex arboribus defluere putabant: quod falſiſſimũ eſſe hodie etiam imperitiſſimis notum eſt. Provenit enim electrum in quadã Germanici Oceani inſula, unde lunari Oceani incremẽto ejicitur ad litus Germanicum, haud exiguum principibus qui locis maritimis imperant, præſtans vectigal. Vide ELECTRVM.

E̅lectră, ἠλέκτρα, teſte Heſiodo, Nympha Oceani & Tethyos filia, uxorq; Atlantis: cujus filia Iovi Dardanum peperit. Virgil. lib. 8: Dardanus Iliacæ primus pater urbis & autor, Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus. Et ſubdit: -Electram maximus Atlas Edidit, ętherios humero qui ſuſtinet orbes. ¶ Alia fuit Electra Oreſtis ſoror, filia Agamemnonis, quę cęlibem ad multum ętatis vitam egit: unde etiam ab Helena apud Euripidem παλαιγενὴς παρθένος: hoc eſt, annoſa virgo per contumeliam appellatur. Inde aliqui Electram dictã volunt, quaſi ἄλεκτρον: hoc eſt, ſine thalamo: quanquam aliis magis placet à flavo colore, electrumq; referente ita fuiſſe appellatam.

E̅lectrĭŭs, a, um: ut, Electria tellus: id eſt, Samos: ab Electra Dardani matre, filia Atlantis. Valer. Flac. Argon. 2: Tunc tenuis Lemnos, tranſitq; Electria tellus Threiciis arcana ſacris.

E̅lectryŏn, ἠλεκτρύων, Amphytrionis frater, & filius Alcei, ut teſtis eſt Heſiodus in Aſpide.

E̅lei, pen. prod. ἠλεῖοι, Populi in Peloponneſo, Elidem incolentes, clariſſimi propter delubrum Iovis Olympii, ludoſque Olympicos, quorum præfecturam Elei habuerunt. Vnde Elei equi, & Eleus carcer ſæpè leguntur. Lucan. lib. 1: -quantum clamore juvatur Eleus ſonipes. ¶ Hinc Eliades equæ dicuntur, quæ ex Olympico certamine palmam referunt. Virgil. 1. Georg. -Eliadum palmas Epirus equarum.

E̅lĕlēĭs, idis, ἐλελεΐς, Mulier bacchans, quæ & Thyas, & Mænas dicitur ἀπὸ τοῦ ἐλελίζειν: hoc eſt, à vociferando. Ovid. 4. Epiſt.

Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleides actæ,
Quæq; ſub Idæo tympana colle movent.

E̅lĕlēus, per tres ſyllabas, ἐλελεὺς, Dictus eſt Sol, ἀπὸ τοῦ ἐλίσσεσθαι περὶ τὴν γῆν, quòd æterno circa terram meatu volvi videatur. Autor Macrobius lib. 1. Satur. cap. 17. ¶ Eſt etiam Eleleus unũ ex Bacchi cognominibus, ab ἐλελίζω verbo Græco, quod ſignificat vociferari, quemadmodum in bello conſueverunt. Ovid. libro 4. Metamorph. ubi Bacchi nomina enumerat, etiam Elelei meminit: Nycteliusque (*inquit*) Eleleusque parens & Iacchus, & Evan.

E̅lĕphantīnă, ἐλεφαντινὴ, Inſula Nili ſupra Syenen, oppidum habens ejuſdem nominis, & puteum ad Nili ripam ex eodem ſaxo, in quo Nili incrementa ſolent incidi. Vide Strab. lib. 17.

E̅lĕphantĭs, tidis, ἐλεφαντὶς, Nomen poetæ, qui libellos ſcripſit, quibus varia genera cõcubitus, varioſq; coëundi modos complexus eſt. Martial. lib. 12: -nec Molles Elephantidos libelli. ¶ Eſt etiam Elephantis Nili inſula, infra ultimam ejus fluvii cataractam, ubi finis eſt Aegyptiæ navigationis. Autor Plin. lib. 5. cap. 9. Strabo Elephantinam appellat.

E̅lĕus, untis, ſive potiùs Elæus, ἐλαιοῦς Stephano, Oppidum eſt in Thracia Cherroneſo, non procul à Maſtuſia promontorio. Autor Plin. lib. 4. cap. 11.

E̅lĕuntĭi hujus incolæ dicuntur, ſive Elæuſii, ἐλαιούσιοι.

E̅lĕūſă, ſive potiùs Elæuſa, ἐλαιοῦσα, Inſula eſt Ciliciæ adjacẽs, non procul à Cypro: cujus meminit Plin. lib. 5. cap. 31.

E̅lĕuſĭs, ἐλευσὶς, & Eleuſin, ἐλευσὶν, Civitas in Attica provincia, non longè ab Athenis, in qua regnavit Eleuſius, qui cùm Cererem filiam quærentem liberaliſſimè hoſpitio ſuſcepiſſet, illa pro munere oſtendit ei omne genus agriculturæ: filium etiam ejus Triptolemum recèns natum, per noctem igne fovit, per diem divino lacte nutrivit: quumque grandiuſculus factus eſſet, curru ſuo, quem alati trahebant ſerpentes, impoſitum per totum orbem miſit ad uſum frumẽtorum hominibus indicandum. Ob cujus beneficii memoriam, Eleuſini Cereri ſolennia ſacra inſtituerunt, quæ Theſmophoria appellantur. Hujus urbis meminit Strabo libro 8, his verbis: Eleuſin civitas eſt in Attica, ubi Eleuſinæ Cereris templum extat, & phanum myſticum quod Ictinus extruxit, turbæ theatralis capaciſſimum.

E̅lĕūſīnŭs, adject. ἐλευσίνιος, Stephano: ut Eleuſina mater eſt, Ceres. Virgil. 1. Georg. Tardaque Eleuſinæ matris volventia plauſtra.

E̅lĕuſĭŭs, Vide ELEVSIS.

E̅lĕuthĕră, ἐλευθέρα, Civitas Cretæ, ab Eleuthere uno Curetum, Saorus aliàs dicta, Stephan. Vide ELEVTHERAE, & ELEVTHERNA, & OAXVS.

Eleuthera, Clini patria, Civitas Cretæ, poſtea Apollonia dicta, Stephanus.

E̅lĕuthĕră Cilicia, ἐλευθέρα κιλικία: id eſt, libera Cilicia, cujus partes diverſis in locis recenſentur. Gentiles, Eleutherocilices, Stephan.

E̅lĕuthĕræ, ἐλευθεραὶ, Vrbs Bœotiæ ab Eleuthere Apollinis filio, & alia Cretæ, ab Eleuthero uno Curetum, quæ etiã Saorus vocabatur (vide Eleuthera) à Saora nympha. Eſt & alia juxta Iſtrum fluvium in Ponto ſic dicta quòd Iaſon Aeetē fugiens, timore illic liberatus ſit. Eſt etiam Lyciæ urbs à nympha quadam, Steph.

E̅lĕuthĕrĭus, ἐλευθέριος, Nomen viri, quo ſignificatur apud nos liberalis, ingenuus, ſervator, liberatorq;. Eleutheria ἐλευθέρια, pluraliter, quaſi liberatoria: id eſt, libertatis ſolennia. Plaut. in Perſa: Baſilicè agito eleutheria.

E̅lĕuthĕrĭum, ἐλευθέριον, Oppidum Myſiæ. Steph.

E̅lĕuthĕrĭs, ἐλευθερὶς, Vrbs Bœotiæ Oropi, prope Cothum & Encleum Stephanus.

E̅lĕuthĕriſce, ἐλευθέρισκη, Vrbs Macedoniæ.

E̅lĕuthernă, ἐλευθέρνα, Vrbs Cretæ, ab uno Curetum dicta, Steph. vide ELEVTHERA, & SATRA.

E̅lĕuthĕrŏs, ἐλεύθερος, Flumen eſt juxta Orthoſiam urbem, quæ eſt in radice Libani montis. Plin. lib. 9. cap. 10: Teſtudines in Phœnicio mari ultrò veniunt ſtatuto tempore anni in amnem Eleutherum effuſa multitudine.

E̅lĕūtĭi, ἐλεύτιοι, Populi Apuliæ gens quã Parthenius Elephantidem vocat. Gentilia, à priore Elephantinus, ab Elephantide Elephantites, Steph. Sed ſuſpicor aliquid deeſſe.

E̅lgŏs, ἔλγος, Oppidum Lydiæ. Steph.

Elibyrge, Vrbs Tarteſſi. Steph.

Elimia, ἐλίμεια, Vrbs Macedoniæ, ab Elimo heroë, vel Heleno, vel Elyma Tuſcorum rege. Steph.